



342

Forma ecclesiae sancti sepulchri, in qua jam stat, et
ejus moderna descriptio hic habetur.

Ecclesia dominici sepulchri, qualis nunc sit, videre restat. Pro quo notandum, quod ecclesia illa est trinomina, quia est duplex, et quaelibet habet suum nomen, et totum etiam habet suam nomen.

Ecclesia, in qua monumentum Domini stat, dicitur ecclesia sancti sepulchri; ecclesia, ubi est medium mundi, juxta rupem Calvariae, dicitur ecclesia golgathana; ambae dictae ecclesiae simul dicuntur Anastasis, i. e. ecclesia resurrectionis Domini. Est autem in veritate non nisi una ecclesia, et navis, continens sanctum sepulchrum, dicitur ecclesia sancti sepulchri. Et chorus illius ecclesiae dicitur ecclesia golgathana, quae est in loco Golgatha. Est autem ecclesia grandis et pretiosa, et si nihil esset, nisi navis ecclesiae, in quo dominicum sepulchrum stat, faceret per se magnam ecclesiam secluso choro. Nam ecclesia illa, secluso choro, rotunda est, magnis columnis marmoreis per circuitum fulcita, habet autem per diametrum de columna ad columnam LXXIII pedes, et a tergo columnarum usque ad murum templi pedes XXX. Et illud spatium per gyrum se extendit, et transitum facit inter columnas et parietem templi sive murum cingentem templum. Hic transitus supra est testudinatus, quae testudo ab una parte dependet super columnas (132 A) praedictas, ab alia innititur parieti templi sive muro circulari. Super illam autem testudinem olim erat circularis transitus communis, et altaria, et juxta portam templi est ascensus per lapideum gradum ad superiora. Nunc vero sunt superius habitacula et chori, per intermedios muros divisi, in quibus Christiani de aliis ritibus sua officia peragunt. De columna vero ad columnam ducti sunt arcus, super quos ulterius murus in altum consurgit usque ad tectum, in quo sunt fenestrae, per quas de testudine circulari est respectus in ecclesiam, et super sepulchrum Domini. Porro, suprema pars illius rotundae ecclesiae non habet lapideam testudinem, sed ligneam de trabibus cedrinis fabricatam, ita tamen, quod in loco culminis traves a muro ascendentes inclinati contra se invicem conveniunt in circulo

357

355

361

351

366

346

406

306

456

256

Ende

Anfang